

scopio E. hinc non potest non pondus plumbeum, quia ei innatat cum mercurio juxta G. descendere, alterum verò L. sursum trahi, atque ita trochlea cum indice circumgyratur, ex qua mutatione rectè aëris gravitas colligitur. Contrà Atmospharâ existente leviore, liquor in *Baroscopio* vincit, & mercurium in parte recurvâ ad ascensum propellit, & eo ipso simul pondus plumbeum superficiei mercurii innixum, quantum verò hoc à mercurio attollitur, tantum alterum pondus plumbeum se dimittit, eoque ipso modo contrario trochleam cum indice trahit, ex quo aëris levitas non immerito conjicitur.

§. III. Sicut præcedens *Cylindricum* nimirum, sic hoc quoque, non mercurio tantum, sed quocunque alio liquore impleri potest, hæc quoque adhibitâ observatione, ut quovis liquor levior sit, eo longiorem requirat cylindrum.

§. IV. Reliqua Phænomena cum præcedentis *Baroscopii* Phænomenis ferè prorsus coincidunt, pertinet huc I. dum eodem modo ad istum terminum mercurius in hoc *Baroscopio* ac in priori subsidit; VI. dum horizontaliter reclinatur; VII. nam, si in altissimi montis verticem perduceretur hocce, descendente mercurio retraheretur index: denique & VIII. quippe eodem modo ad tempestatis variationem indicem licet variantem deprehendere; Repetendæ proin etiam ex ejusdem resolutione causæ sunt.

§. V. Difficultates tamen non nullas hic injicit *Pau-
lus de Lamiria in inclyta Helionensi universitate Phil. Prof. P. in
Libris de Aëris levitate*, quod nimirum, si Mercurius intra
Tubum Torricellianum ab aëris externi æquiponderante cylindro
sustentaretur, tum ejus gravitas, quando leniter tubus à fundo
vasculi sustollatur, non sentiretur, quod evidentius probare
conatur, dum inquit illum bilanci alligatum idem præcisè
pondus habere, quod hydrargyrus cum suo tubo, extra vasculum

non